



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De decem praeceptis, cap. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

rum, & Monialium, alienatio eorum prædiorum, deuastatio monasteriorum, & Ecclesiarum: E quibus ornamenta, calices, monstrantia, aurea argenteaque thuribula, aliæque sacra clinodia, item lapides, ferramenta, Vitra, aliæque ad cultum & honorem Dei data, in publico foro vendita, & ad mundanam superbiam, voluptatémque vsurpata, & ex templis stabula equorum, aliæque illicita ædificia facta. Omnis timor & deuotio hominũ erga Deum sanctosque eius extincta, et fides nostra sancta Catholica in plerisque locis funditus deleta, &c. Huius Principis integritas, ita tibi (Illust. Prin.) multisque alijs & summi & infimi status Proceribus nota est, vt absque rubore dicere non possis, ne cogitare quidem aut suspicari, eum hic mentiri. Et Lutherus ipse à mendacio vindicat eum latissime in libellis suis compluribus, contra Evangelicos fratres suos, Rusticos & Suermeros editis.

## De decem præceptis.

Cap. VI.

V I S I T A T O R.

In lib. Visi-  
ta.

**D**E BENT igitur Parochi sæpe ac diligenter prædicare X. præcepta, eaque expo-

DE DECEM PRÆCEPTIS.

nere, atque indicare, non solum ipsa præcepta, verum etiam quomodo Deus vindicabit in eos qui non obseruant ea, item quomodo temporaliter quoque tales puniuerit. Talia enim exempla ideo scripta sunt, vt hominibus proponantur. S V E R. An & tu ex Suermeris illis vnus es, qui Mosén legunt, celebrant, ac proferunt, quomodo Mosés legibus populú rexit, volentes esse prudentes, & scire, aliquid amplius quàm in Euangelio comprehensum est, paruifacientes fidem, erigentes aliquid noui. D O C T. Infanis, Suermere, nam in his decem verbis prorsus omne mandatú salutare continetur, et licet possint redigi in pauciora, rursus distribui in (sic habet exemplar Lutheri) pluriora: tamen placuit Deo in denario numero illa ponere, qui est numerus vniuersitatis, perfectæque summæ. S V E R. Non infanio, sed sobrietatis verba loquor. Mallé equidem nunquam post hac predicare, quàm Mosén intromitti permittere, Christumque ex cordibus hominú auelli. Nolumus pro regēte aut legislatore amplius habere Mosén, imo & Deus ipse non vult habere. Mosés namque solum Iudaico populo datus est mediator, cui legem dedit; Suermeris autem ita obturandum est os, qui dicunt, Sic dicit Mosés, &c. At tu dic, Mosés nihil ad nos pertinet. L V T. Vide quid agas, Suermere, Si enim Mosén reiicis, ad Papæ Decreta redibis.

*In Sermone  
de Mose  
Vittēber-  
ge anno.  
1526.  
De X. præ-  
ceptis ca. fi.*

*Vbi supra*

DE X. PRÆCEPTIS

*In Cap. Ba-  
bylo. cap. de  
matri. Vbi  
supra.*

Vnde enim rectè distingues gradus affinitatis & consanguinitatis, nisi ex xvij. Capite Leuitici, si ad rigorem impedimentorum, quæ Papa introduxit, redire non velis. S V E R. Die vt lubet: Ego Mosen non accipio. Nam si acciperẽ eum in vno mandato, oportet me totũ Mosen accipere: & sic necessarium esset, vt circunciderer, vestes lauarem, Iudaicóque ritu comederẽ ac biberẽ, aliáque id genus plurima facerẽ. Nolumus igitur Mosen tenere vel accipere: Moses mortuus est, regimẽ eius cessauit, veniente Christo, non deseruit amplius, LVT. Ergo nos frustra laborauimus, vertendo libros Mosi in linguam Germanicã, explanando X. præcepta, ac scribendo Cómétarios in Deuteronomiũ? Absit, sciunt etiam rustici ac stabularij nostri, quòd verbum Domini manet in æternum. Qua ergo fronte tu reiicis illud? S V E R. Sic quidem loquũtur seditiosi prophetæ nostri: Quicquid in Mose legunt, dicunt, hic loquitur Deus, nemo potest negare, ideo obseruare oportet. Tunc astipulatur populus: Hui si Deus loquutus est, quis contradicat? Intruduntur itaque in Mosen, sicut porci in haram. Sed audi tu simul cum prophetis istis, Deus loquutus est cum Adam, ego tamen propter hoc non sum Adam? Præcepit Abrahæ vt filium suum occideret, ego tamen ob id non sum Abrahã, vt filium meũ occidere debeã, sic & cũ Dauid loquutus est. Totũ quidẽ est verbũ Dei, sed verbũ Dei hinc,

*Verbum Do-  
mini in ma-  
nica, Vbi su-  
pra.*

verbū Dei illinc. Oportet me scire, & cōsiderare, ad quē verbū Dei dictum sit: Multū enim adhuc distat, quōd tu sis populus, ad quem Deus loquutus est, falsi quidem prophetæ dicunt: Tu es ille populus, Deus loquitur tibi.

Sed hoc mihi proba. L V T. An ignoras, quā acriter inuectus sim in Papistas aliquos, quōd simili modo respondebant: Paulum ad Corinthios, non ad vniuersalem Ecclesiam, de vtrāque specie sacramēti scripsisse. Quid enim blasphemius & insanius hac insania fingi possit? Absit, absit, vt vll<sup>o</sup> apex in toto Paulo sit, quē non debeat imitari & seruare tota vniuersalis Ecclesia. S V E R.

Duplex est verbum in scriptura, vnum non pertinet ad me, nec tangit me. Alterū pertinet ad me, in quōd confidam, sicut super firmam petram. At falsi prophetæ dicūt, bone popule, hoc est verbum Dei. Verūm quidem est, negare non possumus, sed nō sumus, ille populus. Seditiosi ergo prophetæ, volentes aliquid noui proferre, dicebāt. Oportet & vetus Testamentum obseruari, atque ita induxerunt miseros rusticos in omnem calamitatem, perdentes eis & vxores & liberos. Iustè factum est eis, quia neminem vel sequi vel audire voluerunt. L V T. Mira est hæc tua pernicacia: Certe si reliquos Mosi libros vlla ratione reiicere posses. Deuteronomium tamen nullo honesto prætextu ita contemnere poteris. Decalogi enim explanationem continet, copiosissimam fanè & luculentissimam, quā

*In cap. Babil. cap. de Eucharisti.*

*Vbi supra.*

*In cōment. super Deut. cap. I.*

DE DECEM PRÆCEPTIS.

cognita, nihil prorsus desiderare queas, quod ad intelligentium decem præceptorum opus sit: Vt nihil sit in vniuerso genere vitæ, quod hîc non sit sapientissimè & æquissimè dispositum. *Vbi supra.* S V E R. Vt ergo amplius mireris, audi & hæc pauca. Etenim, quod Moses non obliget gentes, conuinci potest ex ipso textu in libro secundo Mosi, cap. 20. Vbi Deus ipse ait: Ego sum dominus, deus tuus, qui te ex Ægypto de domo seruitutis eduxi. Ex hoc textu clare habemus, quod etiam decem præcepta ad nos non pertinet. Non enim nos, sed solos Iudæos ex Ægypto eduxit. Hoc potest item probari ex tertio præcepto, quod Moses ad gentes & Christianos non pertineat, Paulus enim, & nouum Testamentum abrogant Sabbatum, vt palpari possit, solis Iudæis traditum esse Sabbatum, quibus id rigidum erat præceptum. *De 10. præceptis, cap. 3.* D O C T. Si meos in decem præcepta sermones ad populum vel audisses, vel legisses, Suermere, aliter sentire: Sabbatum enim præceptum fuit in figura, sicut expresse significat Apostolus Colof. 2. Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi, vnde opera seruilia seu manualia, cum sint vtiq; bona, significant opera peccati & illicita veteris hominis. *In Commēta. super Psal. 13.* M A R. Certū est, Suermere, inter præcepta Dei, summū, maximū, & primū esse id quod in Decalogo Mosi primo loco ponit. Ego dominus Deus tuus, qui æduxi te de terra ægypti, non habebis Deos alienos

coram me, &c. Cuius præcepti opera sunt propria & (vt vocant) elicita & immediata, credere, sperare, diligere, timere Deum & ea quæ Dei sunt. Nunquid igitur ista ad te non pertinent? **ECCLE.** Si non pertinet ad nos Mofi Decalogus, inique conquesti sumus contra Papam & Sophistas, quod neglectis & contemptis præceptis Dei, suas nobis ingererent traditiones: Verbi gratia, Deus precepit, vt puer patrem & matrem honoret, & eis sit obediens: Papa autem rationẽ inuenit, vt Monachus aut Monialis non amplius sub patre suo sit. Dicunt enim: Puer iste iam in religione est, & in Dei seruitio. Deus maior est patre & matre, ideo non amplius tenetur patri & matri seruire. Nõne oportet te hęc nobiscum dicere, quod hoc Antichristus docuit? **SVER.** Non mihi, Ecclesiastes, sed Iudeis Mosen tuũ prædica. Ego enim Iudeus non sum, noli mihi molestus esse cum Mose. Si Mosen in vno articulo, acceptarem (inquit Paulus Gal. v.) debitor fierem vniuersæ legis obseruandę. At nullus apex aut punctus in Mosæ ad nos pertinet. **BARR.** Prope est, vt tibi assentiar, Suermere. Nam & ego contra Rusticos tumultuantes iuxta hanc tuam sententiam, sic scripsi. Nec iuuat Rusticos, quod proferunt ex Genes. i. & 2. cap. Omnia esse creata, libera & communia. Quia in nouo Testamento Moses neque tenet, neque obligat. **SVER.** Si aliter intellexerimus, sectas faci-

*In 500. art.  
art. 135.*

*In sermone  
Attendite à  
falsis Pro-  
phetis.*

*Vbi supra.  
in Sermo. de  
Mose.*

*In lib. 2. cõ-  
tra rusticos.*

*Vbi supra.*

DE DECEM PRÆCEPTIS.

*vbi supra.* mus & factiones, euomentes ita in populum, insanam ignoramque plebem, & sine omni discrimine dicentes: Verbum Dei, verbum Dei. Imò, bone sociæ, attenditur, an tibi dictum sit.

*In lib. de  
Confessione  
ad Fran.*

LVT. Quoties autem tu nobiscum contra Papæ traditiones vsus es verbo Dei. Deut. 4. Nihil addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ex eo. Si ergo nos non obligat, cur obliget Papam? At dicebas nobiscum. Non iuuat eos excusatio vlla, quòd Moses hoc non de nouo, sed de veteri Testamento dixerit, quia multo magis in nouo Testamento dictum hoc obseruari debeat. S V E R.

*vbi supra.*

Quàm diu, quæso, sic insanire iuuat cum prædicatoribus his nouis, qui deblaterant ad populum: Verbum Dei, verbum Dei, seducetes miserum populum, atque in foueam protrudentes. Multi docti homines nescierunt, quòsque doceri debeat Moses. Origenes, Hieronymus & id generis alij non indicarunt clarè, quòsque deseruiat nobis Moses, ego ad introductionem quandam in Mosen dicere volui.

COCLÆVS.

*Ecce tibi (Princeps Illustriss.) summam leuissimi hominis huius improbitatem, qui nequissima simulatione aliquot annis & Principum, & populorum fauorem in se, odiùmque in Papam & Theologos scholasticos, per Verbi Dei pretextum quæsiuit. Cum reuera nihil*



aliud ageret, quàm vt seditiones excitaret, maximè contra Ecclesiasticos: Vbi autem vidit, pretextū illum malè cessisse Rusticis, quos sceleratissimè in seditiones ac rebelliones concitauerat, variis de verbo Dei libellis & sermonibus, vt ab omni suspitione (quod impossibile est) sese liberaret, in verbum Dei contumeliosius hic inuehitur ac scurratur, quàm ab vllò vnquam vel Turca, vel Tartaro auditum est. Vbi autem sic scurrati sunt contra vetus Testamentum hæretici, Marcionitæ, & Manichæi, qui tamen ex professo illud reiciebant? Quomodo posset, obsecro, te maiori vel ignominia vel pudore afficere, quàm vt nunc demum, publicè opprobret Euangelicis fratribus suis. Verbum Dei, verbum Dei. Item verbum Dei hinc, verbum Dei illinc: Cum tu maximè cupias videri fortissimus Verbi Dei assertor? Cur inscribis, quæso, & in publicas monetas & in Aulicas tuorum vestes. Verbum Domini manet in æternum. Si liceat interim Luthe- ro publicè opprobrire, verbum Dei, verbum Dei? Hæccine est gloria vestra? Deus tibi, P. Illust. mentem aperiat & oculos, vt turpissimas leuissimi nebulonis collusiones intelligas, videasque & tuum, & tuorum ex illius inconstantia opprobrium & periculum, atque

ita dissentias tandem ab eo, qui tot iam annis  
toties dissentit à se ipso.

De timore Dei.

C A P. VII.

VISITATOR.

*In lib. Vifi.* **D**ebent præterea Parochi specialia quædã  
vitia, velut adulteriũ, ebrietatẽ, inuidiam  
& odium reprehendere, ac indicare quomodo  
Deus illa puniuerit. Quo sane factõ indicat,  
quòd proculdubio multò durius post hanc  
vitã puniturus sit, si hic sese non emẽdauerint.  
Atque ita debent homines ad timorẽ Dei, ad  
pœnitentiam & contritionẽ allici ac moneri,  
debẽtque secura & intemorata vita reprehen-  
di: Idcirco & Paulus ait. Rom. 3. Per legẽ venit  
solũ cognitio peccati, quia cognitio pecca-  
ti nihil aliud est q̃ vera contritio. S V E R. Ad  
*In Sermone de Mose.*  
*In cap. Ba-*  
*bylo. cap. de*  
*Eucharist.*  
*In Resolu.*  
*conclu. 1.*  
*7.* longum iam supra disserui, legem ad me nihil  
pertinere, sed Euangelium. L V T. Bene facis,  
Suermere, quòd Euangelium potius, quàm le-  
gẽ accipis. Nam vetus Testamentũ, per Mo-  
sen datũ, promissio est, non remissionis pecca-  
torum, seu æternarũ rerum, sed tẽporaliũ, nẽpe  
terræ Canaam, per quam nemo renouabatur  
spiritu, ad hæreditatem cœlestem capescendã.  
M A R. An ignoratis, Euangeliũ quoq; voca-  
re nos ad pœnitentiam, cuius initium est con-  
tritio? Nam quando Deus incipit hominẽ iu-  
stificare, prius eum damnat, & quem vult ædifi-  
care, destruit: quẽ vult sanare, percutit: quem